



Einladung

zu der

den 7^{ten} Oktober zu haltenden

öffentlichen Prüfung

der

sämmtlichen Klassen

des

Königl. Gymnasiums zu Bromberg,


von

Müller,

Direktor.

Bromberg 1833,

gedruckt in der Gruenauerschen Buchdruckerei.



Interpretatio familiaris

Hor. Sat. 1. l. 2.'

ad explendum Commentarium Heindorf. conscripta.

Haec satira non loco magis quam re et argumento secundi libri aditum patefacit. Nam per speciem se defendendi, cur pergat scribere satiras, ipsarum scribendarum jus poeta sibi vindicat.

Itaque argumenti summam et quasi cardinem sermonis cognosces eam sententiam, qua se demonstrat Horatius non coeco quodam impetu sed reputando, quid natura sua velit et qua re valeat, animum adjecisse ad satiram; causam deinde tractandi hujus argumenti, adversariorum criminationes in primis versibus expositas; finemque hunc, satiris se non tamquam telis ad lacessendum sed tamquam armis uti ad defendendum. Reliqua artificii sunt et ornatus. Artificii autem ratio duplex est, altera personarum, rerum altera.

Ex priori genere artificii est, quod universum poeta argumentum in consultationem cum Trebatio jurisperito redegit. Qui quum in juris prudentiae laude simul candidissimi animi fama floreret, ad has partes adhibitus est propterea, ut non calumnia juris sed legitima rei disceptatio spectari videretur. Quantum vero suavitatis vel ex hoc instituto vel ex paterna Trebatii caritate in sermonem ipsum

redundet, quam denique scienter et commode, jurisconsulti severitate elegantioris amici facetiis relaxata, persona Trebatii et adornata sit et ad finem servata, lecturis ad cognoscendum relinquetur.

Ejusdem generis sunt quae ad Augustum spectant. Quem fragm. vitae Hor. apud Suet. memorat post sermones lectos (haud dubie l. 1.) nullam sui mentionem habitam (certe non qualem ipse desiderabat) ita questum esse: Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse? — His igitur querelis invitatus honorificentissime, tanto magnificentius videtur Augusto satisfecisse Horatius, quanto hunc librum alterum et oratione politiore quam priorem, et sententiarum vel concinnitate vel lepore quovis distinctiorem ad eum misit; potissimum hoc sermone praefixo, quem ille, praeterquam quod familiarem se esse poetae verecunde declaratum inveniebat, ex laude sua multiplici, varie per varias partes diffusa, sibi non inscriptum quidem sed scriptum tamen esse facile agnoscebat. cf. similis ad Augustum argumenti ep. 1. l. 2.

Rerum autem quod diximus esse argumentum, cernitur quum in compositione operis universa, tum maxime in ratione conjunctae partis prioris, quae satiram acceptam refert naturae, cum posteriore, quae versatur in diluendis calumniatorum criminationibus.

Proposita nimirum vv. 1—4. re controversa, quam discutiendam reservat parti posteriori, aditum poeta ad priorem sermonis partem eo aperit, quod vv. 5—7. nisi versus faciat, dormire se posse negat. Quod si cui quid velit per se minus perspicuum sit, illustratam rem videbit verbis v. 10: si tantus amor scribendi te rapit. Naturae enim vis,

qua ducatur ad scribendum, utrique sententiae subjecta est; sed ea illic verbis tecta et festive dissimulata, hic palam enuntiatur. Ac genus quidem versuum, ad quod natura trahatur, Horatius rejecto vv. 12—15. epico, morali autem, quod vocant, vv. 16—20. cum exceptione recepto, a v. 21. satiricum esse docere incipit. Nam vv. 24—28. diversa singulorum hominum studia praefatus, vv. 28—29. sibi satiras a natura demandatas easque vv. 29—34. ad normam Lucilianarum per se mites esse indicat; sed quibus, vv. 3.—46. si lacessatur, velut armis ad defendendum utatur. Hinc interjectis vv. 44—46. minis, quas, quales sint, vv. 47—49. iracundorum furoribus illustrat, ascendit ad causam, cur non aliter ac satira se defendat, ultimam eamque vv. 50—53. repetit a communi animantium natura. Sed arma intus monstrata, animadvertit, dum in ceteris animantibus tantum corporis sint, in homine esse etiam animi. A Scaeva enim non manu matrem, sed ut a turpi nepote cicuta sublatam, vv. 53—56. Itaque nil mirum esse, si ipse, quicumque sit vitae color, satiras ut sua arma tractet, vv. 57—60.

Hac ergo parte argumenti, cujus initium est v. 5. a praecepto Trebatii, Horatium versus facere omnino vetantis, effecit poeta quod voluit, ut ostenderet, ita se instructum esse satira, ut necessitate quadam coactus in ea versaretur. Qui igitur cujusque carminis ornatum proprium cogitando discernere remque ipsam per se expendere didicerit, vix dubitabit, quin Horatium pronuntiet, quemadmodum Carm. 3. l. 4. se lyricum (cff. Carmm. 1, 1. 2, 20.), ita hac satira satiricum poetam se inaugurasse. — Ad peragendum inde totius operis artificium restat, ut adversariorum criminationes, quae componendi sermonis ansam dederunt, ad irritum redigat.

Interposita igitur, transitionis loco, vv. 60—62. Trebatii miseratione lepida, simulantis se metuere, ne in satira

perseverando Horatius potentiores amicos sibi infensos reddat, poeta vv. 62—74. accedit ad redarguendam criminatio-
nem eorum, quibus in satira videatur nimis acer et ultra le-
gem tendere opus; eamque refellit exemplo Lucilii, qui quum
multo se acrius in hoc genere versatus fuisset, tamen non
offenderit summos aetatis suae viros, quales Scipio et Laelius
fuerint, sed cum iisdem familiarissime vixerit; alteram con-
tra, quae satiram ejus virtute ac vi poetica fraudat, repellit
partim vv. 74—77. sua ipsius cum viris magnis — Augustum
puta, Maecenatem reliquumque coetum virorum illius tem-
poris illustrissimorum et eruditissimorum — consuetudine
perpetua, partim vv. 77. 78. provocando experturos. Ad hæc,
tamquam causa dicta, interrogatus vv. 78. 79. numquid dis-
sentiatur, Trebatius monet vv. 80—83. posse cum eò lege de
malis carminibus agi. Quem usum mali forensis Horatius
vv. 83. 84. familiari carminis boni usu secundum Augusti
præjudicium eludens, postquam vv. 84. 85. quaesivit, quid in
judicio futurum sit, si quis integer opprobriis dignos perfri-
cuerit; Trebatius significat v. 86. iudices rem risui habituros
ipsumque missuros esse.

Habes totius sermonis artificium omnibus suis numeris
expletum; et quod serio videbatur inceptum, per ludibrium
obtrectatorum peroratum est. — Ceterum in his si crimen al-
terum minus apte et legitime dissolutum censeas, quia non
ut in prioribus argumenta vel e natura vel e legibus vel e
more majorum petuntur; rectius statues reputando, nec cri-
men ipsum illud serio prolatum ab accusatoribus, et de poe-
tica virtute arbitrium non tam esse poetæ quam audientium
et legentium. Quod autem tantum auctoritatis Augusti judi-
cio tribuit, quamquam id captandæ benevolentiae speciem
præ se fert, revera tamen pertinet ad carminum existimatores
omnes. Horum enim partibus, ut poetam decet, ad unum et
in hac re ad Augustum collatis, nequiquam eum adulatus est;

quum alias quoque Augustum de ingeniis recte judicasse sciamus. Ac Trebatium, cetera nequidquam expertum, in hac parte extrema, quo magis personam jurisconsulti tueatur, ad leges et judicia, tamquam in sua castra confugere, non est quod pluribus moneatur.

Haec fuerunt artis. Reliqua est ornatus ratio, posita in natura et usu quum sermonis tum satirae. Et sermonis ornatus cernitur partim in diversis loquentium moribus, partim in rebus quae tractantur verbisque quibus res exponuntur. Illuc spectat Trebatii severitas, urbanitate Horatii ad hilaritatem conversa et ad jocum, aetati ejus studiisque aptum; Horatii contra quaedam lascivia, nunc argutiis et salibus exsultans nunc horrenda satirae tela expromens. Rerum autem et verborum ornatum, ut in probo scriptore, ubique conjunctum invenies. Versatur enim sermo in summa rerum varietate, eique respondet verborum delectus. Ab hac parte miram orationi suavitatem conciliat crebro recurrens quaedam verborum mixta rebus ambiguitas, qualis est in quiescendo et dormiendo, in ense et stilo, pia manu, malis carminibus et bonis, aliis. Eodem referendus est loquendi usus forensis et jurisconsulti, itemque varium pro vario animi habitu modo incitatum et sublime modo temperatum orationis genus. Postremo qui satirae proprius est ornatus latetque in hominum vitiis vel notandis vel exemplorum ope exponendis, rarius is quidem in hac quam in aliis satiris usurpatur, sed idem aliquoties acerbius.

Singulas deinceps res verbaque persecuturi

vv. 1—5. poetam reperimus de duplici adversariorum genere occupatum, qui in crimen eum ac fere in jus vocent. Quae quum ita sint, consulit jurisperitum, quid sibi faciendum sit.

In his non legem modo verum etiam praescribe dicit accommodate ad jurisconsultum, quippe et respondentem de jure et jura ipsa prae-

scribentem. cf. Cic. C. M. 9. — Criminationes autem veterum puta nobilium, eo magis poetae iratorum, quod se potissimum invidi principis si non auctoritate permissu tamen his satiris peti suspicabantur. Et prius quidem est iram aperte expromentium, posterius simulato eam contentu dissimulantium. Ita fit, ut criminatione altera alteram ipsi subvertant et semet ipsos eludant. — Accurata autem haec calumniantium disjunctio facit etiam ad dijudicandam modorum, quos Grammatici dicunt, discrepantiam in vocibus *videor* et *videar*. Nam vel propter hanc disjunctionem, opposita maxime altera parte, vel quod poeta loquitur, dubium non est, quin verbis sunt quibus ss. certum genus hominum notetur. Quare Horatio, qui non tam usum communem quam rationem sequitur in loquendo, scribendum fuit *videor*. Librarii contra vel lectores potius pervulgatum sermonem spectantes, suo quodam jure substituebant modum conjunctivum. Exempla indicativi post est, sunt qui, reliqua ejusdem generis, permulta leges apud Hor. v. Interpp. ad Carmin. 1, 1, 3. 20. Equidem haud scio an, qua de causa in hac verborum conjunctione varie nunc indicativo nunc conjunctivo modo utatur, Horatius nusquam magis declararit quam Epp. 2, 2, 182. Ibi quum prius plures indefinite et, ut res ipsa postulat, cum exceptione ponat, deinde unum eumque definitum, utpote se ipsum spectans; priore loco dicit: sunt qui non habeant, posteriore: est qui non curat habere. Simul ex his intelligitur, cur crebrior hic usus m. ind. apud Horatium sit in Carminibus quam in Sermonibus. Oratio enim concreta, quae vocatur, igiturque definita quum universae poesi convenit tum maxime generi lyrico. — Diversa ratio est modi indicativi in verbis quidquid composui. Et certe inventi essent, qui hic quoque scripsissent composuerim, nisi numeri impedirent. Poeta vero haec sua non adversariorum esse voluit.

5—7. Consulentem ergo Horatium, quid faciat quum ita petatur, quiescere jubet Trebatius. Quod ille, adjecta affirmatione gravissima, concedit quidem optimum esse; negat tamen aliter ac versibus componendis naturae satisfacere se posse suae.

Observe quae juris consultum decent; hic brevitatem in respondendo, in sequentibus legislatorum formulas. — Quiescere jubet Horatium, ne sibi molestias paret super re, Trebatii iudice, tam vili; quam poeta ut temere susceperit ita aequo animo ponere possit. Sed huic Trebatii sententiae occurritur sequentibus. Conjunctivo autem modo indicatur, tutius esse abstinendo a satira vitare eos, qui si non ipsi tamen per alios Horatio noceant. Quod hic quum sibi per naturam licere neget, vide quid ei metuat Trebat-

tius vv. 60—62. — Dormire nequeo quum jucunde ad ea, quae Trebatius postea his objicit, tum apposite dictum ad antecedens quiescas; et simul magni momenti est ad constituendam priorem sermonis partem, quae se natura duci ad satiras demonstraturus est. Nam quum, qui dormire nequeat, idem vivere non possit; poesin sibi Horatius quasi pabulum vel quoddam adminiculum vitae esse nuncupat. Quo magis autem ad Trebatii quiescas respondeat, per jocum dicit rem, quam nobilitas adeo horreat, ut vel de jure et judicio cogitet, sibi esse somno capiendum. — Erat neutiquam accipiendum pro est, sed trito loquendi usu pro esset, ut v. 16. poteras pro posses. Nec sic erratum esset, si verba peream male! ut exclamationis formulam, a reliqua oratione disjuncta essent.

7—12. Duplex igitur Trebatius dat consilium, quo naturae satisfaciat Horatius, ut aut corpus exerceat sive transnando Tiberim seu placando Genium vino, aut ut Caesaris res scribat.

Prius consilium ita comparatum est, ut quum Horatius ea, quae ille voce quiescas monere voluerat, dormiendi verbo aliqua saltem ex parte in jocum verterit, Trebatius eundem jocum, sed paulo mutatum, senili more dilatet, juniori amico commendans aut veterem juvenum Romanorum disciplinam in Campo et Tiberi aut recentem eorum consuetudinem, qua vino indulgere solebant; quamquam non ignorabat, neutrum cadere in Horatii naturam; ut ab ipso hic illic docemur. — Argumentum autem his verbis progreditur eatenus, ut Trebatius tacite concedat naturae esse rationem habendam. Itaque altero consilio eandem rem serio recolens missoque eo praecepto, quo poetam versus facere omnino vetuerat, suadet ei, ut generis epici in rebus Augusti celebrandis periculum faciat. — His igitur naturae vim palam agnoscit; praesertim usus voce amoris. Cui nomini quum notio primaria insit cupiditatis vehementis, convenienter adjectum est rapit; idque tam accurate defendit Heindorf. adversus Bentl. capit, ut vexari amplius non possit.

12—15. Benigne consulenti Horatius, declarato pietatis sensu, respondet Trebatio, quantumvis cupiat Augusti res dicere, tamen se compotem non esse spiritus epici.

Cupidum non ita se dicit, ut sibi tributam velit facultatem carminis heroici, sed ut studio rerum Augusti celebrandarum flagrare se ostendat. — Patrem optimum appellat Trebatium, non ut vulgo solent

senes, sed quod benevolo consilio rebus suis et laudi prospiciat. — Vires autem deficere quod se ait canendis rebus bellicis, id pariter ac sequens quivis summam argumenti attingit, qua suam cuique facultatem intus a natura monstrari docet, eaque invita nequidquam alia tentari. — Neque tamen abhorret ab hac sententia, quod facta mentione rerum Augusti, subito epici ardoris instinctu ad earundem divinationem abreptus, quarum rerum gerendarum spes sit posita in illo, heroica gravitate vaticinatur. Ad universum enim sermonis argumentum revocata verba non quivis horrentia pilis — Parthi nihil aliud sonant nisi hoc: non cuius licere esse poetae epico. Similiter eandem rem tractat Carmm. 1, 6, 13. ss. cf. Ep. ad Piss. 137. 141. Ceterum docte Heindorf. et recte statuit, his verbis epicis non contineri res ab Augusto tum gestas, sed gerendarum quandam divinationem. — In praeferendo describit minus caute sequuntur Bentl. Nam quem locum probando modo indicativo affert Heindorf. (ad Piss. 263.), quantamcumque similitudinis speciem praebet, vim tamen probandi non habet. Vides enim haec verba sub conditione et cum expectatione assensus, vel ut Fea censet, fere vetantis modo prolata esse; cuius generis conditionibus illius loci sententia nullis adstricta tenetur. Quid quod, diversis scripturae formis describit et describat, quarum utramque par fere librorum scriptorum numerus defendit, simul cum minoris auctoritatis forma describet ac minimae scribebat, secundum leges criticas expensis, conjunctivo modo principatus vix eripietur. Nam primum constat, scribebat sive incuria legendi scribendique sive turpissimo emendandi pruritu natum esse ex describat. Describet vero medium inter describit et describat, vel scriptura vel mente occupat locum; scriptura, quoniam e non rara in jus et ditionem a, saepius tamen in i literae irrepsit; mente, quod futurum tempus proxime accedit ad m. conj. igiturque dubitatione de ind. et conj. m. apud intelligentes orta, futuro, velut quodam temperamento, discrimen modorum aequari videbatur. Ita restat disceptatio inter describit et describat. Quorum utrum alteri praeferatur, sententia dijudicandum est. Nam ubi simpliciter enuntiatur, quid sit aut fiat, ind. m. postulatur; conj. ubi sub conditionibus ejus generis, quibus modo haec verba enuntiata esse diximus. Illae vero conditiones omnes commodissime Graecorum optativo m. adjuncta AN*) particula efferuntur. Quem Graecum usum loquendi quum Horatius, ubi futuri temporis notio, sicut h. l. simul requiritur, conj. m. toties in Sermonibus maxime expresserit; tum non est, quod hic de reponendo conj. m. ultra dubitetur.

16—20. Neganti igitur Horatio idoneum se esse dicendis rebus bellicis, suadet Trebatius, ut certe domesticas

*) Sic scripsit typographus inopia formarum Graecarum.

Augusti et privatas virtutes laudet; auctore Lucilio, qui ob easdem sapienter et scite ornarit Scipionem. Et hoc quidem recipit ei Horatius, quum justa detur occasio, quae versibus suis audientiam faciat; ne laevo studio invidiam pro gratia sibi contrahat.

His verbis eo procedit oratio, ut morum laudes, quippe ad universum genus sermonum, cujus pars sit satira, pertinentes, non repugnare naturae suae dicat; simul tamen, injecta Lucilii mentione, legentium animos praeparet ad ea quae sequuntur, quibus satirae facultatem priorem sibi esse contendit. — Transit autem particula attamen; cujus vis duplex et concedendi tacite et cum adhortatione quadam adversandi etiam legendo et pronuntiando accurate tenenda est et exprimenda. — Sapientem appellat Lucilium, ut Graeci fere σοφον*); quippe qui quod e re fuisset, et intellexerit probe et fecerit commode. — Quod autem dicit non defuturum se sibi, eo indicat esse sibi facultatem ejus rei, in qua sibi non sit defuturus: — modo res ferat ipsa; ergo ne fiat inconsulto inanive conatu, quem necesse sit eventu carere; propulsante a se Caesare quoslibet vel ineptos vel importunos laudatores. — Hic in incerto relinquimus, quod fortasse nunquam expedietur; *palpare-recalcitrat* scribendum sit an *palpare-recalcitret* an mixtis modis *palpare-recalcitrat*; in diversas has partes trahentibus ll. scr. Momentum facit, utrum quod futurum sit fierive possit, Horatium indicare putes, an quod factum sit; reditque hoc fere eo, utrum haec verba ad poetam ipsum referas an ea carpere censeas sortem alius, qui Caesarem intempestive laudavit. Animus contra opinionem eorum, qui altero quoque loco conj. m. antetulerunt, inclinatur ad hoc posterius, ad stipulans indicativo *recalcitrat*; quo non se spectarit, sed nescio quem alium. Quod quum per se satirae, qualis Horatiana est, egregie convenit, tum invitat eo etiam oppositorum ratio, ut sit quod respondeat verbo Flacci. Quae vox si cui videatur opposita *sapienti* Lucilio, vereor ne hoc admodum ludentis sit.

21—29. Postquam Horatius de domestica Augusti laude celebranda paulum concessit, Trebatius, sperans fore ut magis eum avertat a satira, praefatus de illius studii praestantia, monet poetam, ne singulos carpendo, omnium qui ejusdem generis sint, etiamsi eos non tangat, odium e timore natum in se convertat. At ille audito nomine Pantolabi et

*) v. not. pag. 8.

Nomentani, principum inter satirae personas, quasi quodam furore in palaestram suam abreptus, ipsius rei explanandae causa correpto Milonio leniusque paulo Dioscuris, pronuntiat: ut suo quisque trahatur studio, ita se delectari versibus conciunandis more Lucilii, qui auctoritate sua melius ipsis disputantibus hanc de satira motam litem componat.

Vides non inania esse nomina Pantolabi et Nomentani, sed quibus, ut scurrarum et nepotum antesignans, genus satiricum omne designet; quemadmodum antea versibus epicis epicum genus ipsum adumbrat. — Rectius, quid sententiae contineat, commode expressum reperies apud Vossium. — Sed idem perverse disjunctum tum verba quum sibi ss. a superioribus, tum timet et odit inter se; quamquam neminem fugiet, conjunctam sententiam v. 23. cum vv. 21. 22. de natura et vi satirae exponere, quae singulos notando notet genera; disjunctam, si non inertem, certe supervacaneam esse. Explebis enim verba fere sic: quum interea dum P. et N. laedis, quisque eorum, qui ad genus illorum accedunt, sibi timet rell. Ceterum et odit non simpliciter sed per consequentiam junctum est verbo timet. — Milonium carpando poetam se simul comparare cum eo, sponte intelligitur; minus fortasse hoc, praeter universam hanc comparisonem, aliam esse in verbis ut semel icto ss. His enim indicari vult, se similiter atque illum, commemoratis scurris et nepotibus, animi fervore ablatum adeoque mente alienatum esse, ut quum disserere instituerit de scribendis satiris, in satiram ipsam ratione quodammodo excussa abripiatur. — Nec verba ovo prognatus eodem putabis usurpata esse more vulgato, ut fit ubi sermo in Dioscuris incidit, sed ut studia eorum a natura profecta esse tanto luculentius indicaretur. — In delectat eandem naturae vim agnoscas; dummodo perpenderit, quid omnibus a laciendi stirpe derivatis vocibus subjectum sit. — Meliorem autem Lucilium se et Trebatium non propterea vocare potest poeta, quod ipsis ille praestiterit vel animo et moribus vel censu et natalibus. Nam si hoc voluisset, laeisset certe Trebatium. Immo sermonis ratio et argumentationis ordo postulat, ut causam illi vocabulo inesse statuamus, cur Horatius sequatur Lucilium. Atqui v. 17. Trebatius ipse prior interposuit auctoritatem Lucilii; ergo nunc eundem Horatius, velut de sententia Trebatii, nuncupat talem, qualis exemplo suo melius ipsis de usu satirae judicare possit. Respice etiam v. 21. ubi Trebatius satiras minus recte tractari indicat. Huic interpretationi si quis ita occurrat, ut melioris voci oppositum ferat, quod latet in verbis v. 34: Sequor hunc Lucanus an Appulus, anceps; nequitiam illi quidem adversamur, dummodo vicissim concedatur, esse proprium sermoni et sua-

vitatem ei conciliare peculiarem, iisdem verbis varie et ut res ferat, paulo uti etiam mutato sensu. Quem morem ab Horatio crebrius usurpatum esse praesertim in hoc sermone, supra memoravimus. — Praeterea in his sententiarum consecutio animadvertenda est eaque docta et venusta Horatio autem solemnis, quamquam aliis locis aliter adornata. Etenim cujus rei ad pugnis usque exempla ponit, eam postea sententia communi proverbii modo enuntiat, rursusque inde suam ipsius agendi rationem derivat.

Ergo hoc sermonis impetu stupefactus Trebatius obmutescit; dum Horatius paulo moratus post utroque, si quid ille contra moneat, ubi praecusam sensit ejus vocem, inhibito nunc citato cursu in dicenda satirae causa progreditur. Quae autem hinc continuantur usque ad v. 60, unam sententiarum quasi complexionem efficiunt. Nam quod vv. 30—34. de Lucilii libris praedicatur, idem mutatis ut ajunt mutandis, suis tribuit Horatius vv. 57—60. Et jungitur finis initio interpositis verbis Sequor hunc v. 34. Perficit autem poeta hac parte sermonis, quod a v. 5. tum liberius tum pressius egit, ut probet, se Lucili ritu satiras scribendo nihil aliud nisi naturam sequi ducem. Nos perspicuitatis causa universam hanc argumentationem in partes suas dissolvamus.

Primum igitur Lucilium scribit

vv. 30—34. chartis velut fidis sodalibus uti solitum, quibus commiserit quae pectus moverent; neque eum in ulla fortuna alio confugisse. Eo fieri, ut variae vicissitudines, quas vita Lucilii subierit, in his libris tanquam in illustri monumento, quale seni par sit, propositae esse videantur.

Progressus in disputando hic est. Quum modo dixerit se delectari Lucili ritu versus facere, nunc exponit, quid sit Lucili ritu scribere; esse id autem, quidquid animo usuque cognoscas, uti cognoveris, fideliter commendare libris. In his mitiorem animadvertes satirarum Lucilianarum partem, sequente acerbior v. 62—70. — Arcanorum notionem rectam et plenam tum animo informabis, quum naturae vim, qualis, interprete Horatio, in satira tum sua tum Luciliana dominetur, ex universo hujus sermonis te-

nore maximeque ex eo, quod vv. 53. 54. vocatur intus monstrari, probe expenderis. — Olim; h. e. quum res ferebat; ergo non semper sed interdum, more Horatiano. — Credebat sc. ut fidis sodalibus. — Cesserat recte vindicavit h. l. Heind. — Item Fea unquam pro usquam, addita etiam ll. scrr. auctoritate. Insuper sustentatur unquam vel opposito olim vel iis, quae his respondent vv. 57 — 60. — Decurrimus eo, ubi quum alibi praesidium non est, speramus fore ut tuti esse et rem bene gerere possimus. cf. Carmm. 3, 29, 59. Ern. clav. Cic. s. h. v. — Tabellae votivae imago res plurimas continet; e quibus huc pertinet, quod et illustrissimis coloribus ad cognoscendum et horridissimis distincta erat ad commovendum; itemque, quod quum circumlata erat in publico, ad intuentium probonebatur in templo, consecrata deo salutis auctori; quapropter religioni erat in eas ficti quidquam aut simulati conferre. — Senis nomen tum praesente sene tum quod periodum claudit, positum etiam a fronte versus, plurimum valet; nec dubium est, quin praesertim coram Trebatio sene, omnes quae sunt honestae senectutis virtutes complectatur; vitio tamen eo non excepto, quod cernitur in loquacitate nec in sene pro vitio habetur. Certe hoc postremum neque hoc ipso loco dissimulatum et clarius expressum est iis, quae proxime sequuntur; ubi adumbrata loquacitas Luciliana non fugit Wielandii in tali re sagacitatem.

34—49. Ad hujus Lucilii morem Horatius conformasse se pergit, genere quidem inferiorem illo — quum vel in ambiguo sit, Lucanis ipse annumeretur an Appulis — sed Venusinum tamen igiturque Romanum et patriae natura ac situ ad arma ita instructum, ut sponte quidem incursiones non faciat, aliorum contra propulset. Itaque satiram sibi esse instar ensis; quem ne destringere cogatur, precari se deos, pacis studiosum. At si quis ipsum irretet, adversus eum minatur se ita coorturum, ut vapulans cantilenae sit urbi.

His propius accedit poeta ad vindicandas sibi satiras velut arma sua; coloniaeque Venusinae, ubi natus est, situ describendo quasi innatum sibi esse ostendit, vim vi propellere. Ceterum in his mansuetudinis significatio ingenuae cum fortitudine vera, quae in satira non sit sine acerbitate, mirum in modum mixta est. — Colonus missus jungenda sunt propterea, ut, qui Venusinus sit, simul appareat, eum esse Romanum et ex hac saltem parte Lucilio parem et pugnacem. — Sed particula quodammodo se revocat poeta ab orationis digressionem. — Eandem fere ob causam dictus est hic stilus. Et hic quidem, oppositum rebus quae antecedunt, tamquam ad argumentum sermonis ipsum minus pertinentibus, per se referendum est,

ut pronomen primae personae, simul ad poetam ipsum simul ad rem praesentem. Stylus vero cum quadam comparatione oppositus est ensi, cujus usus latet in prioribus. Utrumque igitur (hic stylus) indicat, poetam nunc agere non de ensis usu sed satirae. Et sic porro stylus cum ense et telo permutatur. — Et cum vi adversandi post negationem; usu quum aliis scriptoribus non raro, tum apud Horatium fere perpetuo. — Ante quem signum maximum posuit Fea; recte. Nam partim hoc relativo causa affertur prioris sententiae, partim enuntiatio ipsa vel structura orationis vel colore omni differt ab illa. — Distringere suadet compositio, destringere usus, h. l. etiam Cdd. Mss. consensus, igiturque hoc reponendum. — Latrones vocat adversarios, quippe qui clam ex insidiis incursitent. Nam ut stirpe cognata sit haec vox Graecorum verbo *LATREVEIN**) et ab opera navanda sic antiquitus appellati sint milites; tamen in Latinis, ut fit, similitudo ejus cum verbo latendi ita vicit, ut florentissima linguae aetate loquendi usus ne cogitaret quidem de stirpe Graeca. — Infestos autem nominat, quia velut infestis signis procurrant in ipsum se defendentem. — Sed hanc defensionem, simulac lacessatur, non esse absque impetu suo, quum cetera oratione declaratur tum voce teli. — Nec. Plerisque scribendum videbitur neu. Et sic jubemur scribere. Sed multitudo locorum, ubi neque, nec pro neve, neu scriptum exstat ejusmodi est, ut de harum particularium ratione nondum accommodate ad usum praecipere suspicemur. Videtur discrimen facere, utrum negatio, quae inest prohibitioni, ad enuntiationem universam an ad partem ejus pertineat; ubi ad universam enuntiationem, postulari neve, neu, ubi ad partem neque, nec. Sed in hac re non idem omnes sentiunt. Potest enim negatio ad totum relata esse a scriptore, dum legenti videtur ad partem referenda; idque contra fit, quamquam raro. Apud Hor. memorabilis locus est ad *Piss.* 189—194. Ibi nec spectat singula, primum Deum deinde quartam personam; neve, neu ubique totum. Inde colligas, h. l. negari tantum quisquam; contra videbitur aliis. Sed quum possit tamen nec ad simplex quisquam referri, neque exstet scripturae diversitas, accipiendum est, voluisse eo trahi scriptorem. — In explicanda voce commorari respicienda est verborum melius non tangere vis tantum non proverbialis. cf. *Carmin.* 3, 2, 10. 11. Voluit ergo poeta hoc: ne quis me, ceu dormitantem leonem suscitet. — Sequuntur vv. 47—49. exempla minarum, quales iratorum sint, sed accommodata illa ad satiram. Carpendo enim furorem iracundorum quorundam significat poeta, quomodo quum ipsius ira excitetur, suas minas persecuturus sit. Nomina sunt vulgi ignobilis. De Cervio et Turio nihil constat, praeterquam quod iis h. l. tribuitur et quod Scholiastae tradunt. Quibus fidem habendam esse, quis af-

*) v. not. pag. 8.

firmet. Paulo notior Albutius, si ad eundem spectat, quod seq. sat. v. 67. narratur; sed hoc quoque conjecturae est. Canidia, quotiescunque ejus mentio sit ap. Hor., spurcissimum nomen. Nam ut palinodia Carmm. 1, 16. scripta sit huic, certe luditur ea. Ergo hos quis tandem in animum inducat ejus generis esse, de quibus ut adversariis Horatius eam poenam sumserit, quam modo minatus est. Sunt potius, quemadmodum plerique omnes in satiris Horatianis notati, homines improbitate sceleribusve famosi; nomina communia et publicae materiae, quae poeta proprie dixit et privati juris fecit (v. ad Piss. 128—131.); quorumque notatione satirica nihil aliud vult nisi intelligi, quomodo castigaturus sit, si quis ipsum petat. Quae quum ita sint, scrutentur haec nomina, quibus vacat. Ad cognoscendum quid hic sibi velint, sufficiunt quae locus ipse suppeditat. Etiam Canidiam Albuti quomodo sumas, perinde est; modo ne simpliciter de filia aut uxore cogites. Albutio seq. sat. l. l. saevitiam tributam leges. Itaque non incommode hic iracundis adscribitur. Canidiam non displicet — cujus conjecturae partim auctor est Bothius — suis artibus irretito sene Albutio, per decorum aequae ac ridiculum vocatam Albuti; permissio, ut quocumque legens vellet nomine casum genitivum expleret. Ita habes egregium in satira par, utrumque vetulum, scortum et scortatorem, flagello instructum alterum, alteram intentam veneno; ut non minus hos quam Cervium et Turium ad vitam expressos dicas.

50—60. Praefatus ante poeta de iracundorum variis furoribus, nunc exemplis de bestiarum genere sumtis, animantes demonstrat alias aliter iram expromere, prout quamque natura intus efformando instruxerit. Hinc intelligi, qui fiat, ut Scaeva nepos manu quidem pius sit — quum nec lupo quemquam calcem nec bos petat dente — impius tamen veneno, sic matre sublata. Similiterque pergit, se quoque a natura ad scribendum (sc. satiras) conformatum esse. Itaque se, quaecumque ipsum maneat sors, ab eo munere recedere non posse.

Pervenit poeta, sensim progressus a v. 5, ad summam ejus argumentationis, qua studet evincere, naturae quadam necessitate se ad scribendum et scribenda quidem satira se defendendum compelli. Sed cave eum suspiceris hac expositione id, quod caeca natura, qualis est in bestiis, sine ratione et consilio efficiat, in homine defendere. Immo verborum delectus talis est, ut intelligatur, eum sub Scaevae persona graviter castigare, qui-

cunque solo naturae imperio se regi patiantur. Hinc liquet, velle quidem poetam ducem haberi naturam, sed eam ratione ac mente temperatam. Omnis ergo, quae plerosque h. l. offendit acerbitas, non rei est sed satirae. — Petit unde recte conjungit Both. Ad monstratum enim est, ut fit, omittitur. Conjuncta autem petit unde sonant fere hoc: unde fit, ut petat. Si cui quid praeterea difficultatis in his verbis remaneat, habet explanatorem Horatium ipsum seq. sat. v. 18 et 31. cl. Ep. ad Piss. 108. ss. — Pia dextera. Si Scaevae dextera pia est, ipse quoque pius est dextra. Et hoc voluit poeta. Nam a ferro nihil matri imminuit mali. Scaeva nepos est, ignavus ad scelus manu patrandum; non valet nisi veneno. — Mirum, se junctim capiendum. Est enim rhetorice semet ipsum interpellantis et rogantis, qui dici possit, nil sceleris fecisse Scaevae manum eamque piam esse, quum is sit famosus matricida. Respondetur ad haec seqq: ut neque seqq. quae sic expleas: Minime mirum est, si Scaeva non manu matrem occidit (sed cicuta), ut (h. e. quemadmodum) mirum non est, si lupus non calce petit rell. Ceterum Both. mirum conjungit cum nil sceleris, junctura probis scriptoribus improbata. — Mala, vi gravissima, qualem docuit Heind. ad Satt. 1, 1, 77. Simul haec vox opposita est verbo pia; ut quid Horatius sentiret de Scaevae facto, obscurum esse non posset. — Anum idem sonat quod vivacem; sed suo utrumque loco eleganter et scite commissum. — Seu me tranquilla senectus exspectat et seu mors me atris circumvolat alas sibi opposita sunt. Unde perspicuum, alas morti non propterea adscribi, quod frater sit somni, cui alae tribui soleant; sed ut celeritas mortis significetur, in verbis exspectat me senectus tarditate ejus latente. — Atrum adjectum est morti, ut, quemadmodum infaustum quodvis atrum vocatur, infausta mors, qualis praematura est, notetur; opponiturque ei tranquillum, quod, quoniam tempestatis et procellarum vim excludit, faustam igiturque placidam senectutem indicet. Tenendum est enim, harum sententiarum sibi oppositarum priori similitudinem quandam navigationis, volatus alteri subjectam esse. Neque negligendum, quod non volare simpliciter, sed circumvolare dicit poeta, velut undique imminente morte. — Pro jussit Fea dedit luserit, motus tum auctoritate Cdd. Mss. nonnullorum tum more Horatiano, exemplis illustrato. Praeterea Feae scriptura probabitur eo, quod accommodatior est vel tenori sermonis omni vel partibus ipsius enuntiationis reliquis.

60—78. Tandem recepit se ex stupore suo Trebatius, sed ut infaustae parti perorationis Horatianae calculum adjiciat: pro morte tamen lepide subjiciens se metuere, ne poeta in

potentis amici offensionem incurrat. Hoc vero ipsum dat occasionem Horatio partim ex ea familiaritate, quae Lucilio fuerit cum Scipione et Laelio, conjiciendi, nec sibi ob satiras a magnis quibuscum ipse consuescat viris quidquam metuendum esse, partim, satis jam declarata acerbitate satirae suae, eandem docendi multo majorem fuisse in Lucilio.

Absoluta jam sermonis parte ea, cujus erat demonstrare, satirae munus scribendae a natura sibi ita demandatum esse, ut eo non posset non fungi; v. 60. accedit ad confutandas criminationes, quibus ob satiram se peti ait principio sermonis. Confutatio autem duplex est. Altera enim pertinet ad argumentum satirae, altera ad legem, quae videatur facere cum adversariis. Et illa quidem amplectitur eam sermonis partem, de qua nunc exponitur ad v. 78, haec eam, quae inde pergit ad finem. Sed priorem confutationis partem rursus ita divisit poeta, ut iis, quibus in satira videatur nimis acer et ultra legem tendere opus, respondeat usque ad v. 74, deinde iis, qui sine nervis esse quidquid composuerit ss. criminentur, ad v. 78. — Animadvertendum autem, poetam in his simul adversarios impugnare simul respondere ad ea, quae monet Trebatius vv. 60—62. Nam quod continetur vv. 62—74, dum priorem diluit criminationem, referendum est etiam ad verba Trebatii ut sis vitalis metuo et majorum ne quis amicus frigore te feriat. Quae inde sequuntur a v. 74. ad 78. nihil habent in verbis Trebatii cui respondeant, nisi vocem, o puer. Quare statuendum, hanc vocem, quae per se paternae caritatis est, ita pronuntiatam esse, ut cum signo miserationis simul quandam humilitatem sortis exprimeret. — Hanc vim humilitatis in voce pueri inesse, magis declarat oppositum nomen majorum. Casus autem genitivus majorum neutiquam pendet ex nomine amicus sed e pronomine quis, hac sententia: ne quis majorum, qui tibi amicus est, rell. — Vitalis, sc. puer, dicitur proverbiali locutione. — Etiam frigore ferire quandam rationem habet cum puer; non tam propterea, quod puerili aetati grave sit frigus, quam quod Horatium ipsum nominus non bene patientem frigoris fuisse. Quod quum reputaveris, minus miraberis, unde frigore ferire, praesertim quum puerum frigore ferire dicatur majorum aliquis, vim exstinguendae gratiae acceperit. — Ausus, ut primus satirarum scriptor; quare vitare non posse visus est, quin offensionem principum subiret, quum laederet summos. — Qui duxit ab oppressa meritis Carthagine nomen. Consulto suppressum nomen Scipionis, quo magnitudo summi Romani nominis viri magis declararetur. Ac vide, quae ex his verbis redundet vis in vocem virtus Scipiadae, v. 72.

